

(173) Pat. clon.
Handels- & tullf.
Meta
81

PRIVILEGIUM

P A T E N S,
Commissario

HENRICO KÖNIG

Ejusque Sociis, pro instituendâ
AD

I N D I A S O R I E N T A L E S

Commercandi gratiâ,
Navigatione,

^â
SACRA REGIA MAJESTATE

Clementissimè concessum.

Holmiæ, die 14. Junii, 1731.

NOS FRIDERICUS, DEI Gratiâ,
Suecorum, Gothorum Vandalorumque Rex &c. &c. &c. Landgravius Hassiæ &c. &c. Notum facimus: Quod, cum fidelis ac dilectus subditus Noster, Commissarius Nobilisque, Henricus König, Nobis humilimè significarit, sibi ac Consortibus in animo esse, Navigationem & Mercaturam instituere in illis Indiarum Orientalium locis, quæ nulli Europæarum Gentium, seu Dominiæ seu aliò quòcunque, Nationes alias excludente, Commerciorum jure, obnoxia sunt: eâq; de causâ Consensu ac Privilegio Nostro Regio muniri desideraverit: atque Nos adeò hoc ejus propositum non modò laude dignum, sed & æquum, ac aliarum Gentium jura particularia nullatenus læsurum judicaverimus; Proindè, sicuti Regni ac Subditorum nostrorum salus & incrementum semper Nobis unicè cordi est, quod ipsum heic etiam, pro auctoritate atque benivolentiâ Regiâ, testatum volumus; ita non tantum suprà dictæ a Commissariò König factæ petitioni clementer annuimus, sed & eum in finem, apertum hecce Nostrum Privilegium in sequentes ipsi largimur conditiones:

I.

Vigore hujus nostri Privilegii, ante infrà nominatum terminum non revocandi, Commissario Henrico König Sociisque liberam concessimus additamque volumus potestatem navigandi, ac Commercia in Indiis Orientalibus exercendi, in omnibus nimirum ultra Promontorium, Caput Bonæ Spei dictum, sitis, quæque aliis Nationibus frequentare fas est, Portibus, Locis ac Fluviis; idque per continuatam quindecim annorum seriem, ab hujus Privilegii signaturâ inchoandam; ita quidem, ut ne hoc commercium ad ullos aliarum

aliarum in Europâ Gentium Ditioni subjectos portus, locos, fluvios, &c. &c. possessoribus invitis, extendatur.

II.

QUæ huic Commercio inservient Naves, à Portu Gothoburgensi semper solvent, illucque denuò adpellent, utibi exonerentur, ac publicè veneant advectæ merces; quæ Auctio, quàm primum commodum fuerit, habebitur.

III.

SPatio quindecim Annorum suprà memorato, Sæ. Ræ. Majiti ac Coronæ solvent Henricus König Sociique centum Thaleros argenteos, pro singulò (quod vulgò Last appellatur) cujusvis navis onere huic operi destinatæ, ac suas imposituræ merces; observatis scilicet ipsius magnitudine ac capacitate, hunc in finem, antequam Gothoburgo disceditur, dimetiendis; quod quidem in Carolinis exigetur tributum, sex à reditu navium mensibus; sicuti etiam, quod jura urbium spectat, pro quovis advenientium Indicarum mercium onere duo in universum persolventur Thaleri argentei, juxtà fundamentum superius allegatum. De cetero autem nihil ultrà pendere tenebuntur Henricus König & Socii pro dictis Navibus mercibusve, quocunque tandem, sive in vectæ, sive etiam exportatæ, veniant nomine,

IV.

Conceditur Henrico König & Consortibus tot instruere atque armare Naves, quot ad hanc faciendam mercaturam opus esse visum fuerit, eâ tamen conditione, ut, quatenus tali instituto aptas, inve-

nire est, hic in Sueciâ construantur vel emanent, atque rebus necessariis adornentur omnibus. Quòd si vero naves idoneæ, materia rudis, ceteraque ad illas pertinentia, intra Regni Suecici fines non reperiuntur, uti initiò forsan usû venerit; tunc sæpius memorato Henrico König Sociisque integrum erit, exteris in oris emendas, atque illinc, quò id commodissime ac pretiò quam minimò fieri licet, advehendas curare tam naves, quàm alia huc facientia: ita tamen, ut ad promovenda, quantum fieri potest, è Regni proventibus officia semper ac præcipuè promptò ferantur animò.

V.

NAves suprâ dictæ, Aplustribus mercaturæ Suecicis insignitæ, semper literis Salvi-Passus munientur manu Sac. Ræ Majestis propriâ subscriptis, literis quoque hujusmodi Algerinis sufficienter instruendæ.

VI.

HUic Commercio tantas argenti summas sortesque impendere licebit Henrico König Sociisque, quantas esse duxerint, easque vel per Chiographa, vel aliâ quâcunque commodiori colligere ratione: obstrictis, qui consignaverint, ad pecuniæ solutionem, vel statim sub ipsò Chiographi actû, vel ad conditum, ab Henricò König Sociisque diem. Quod ni fiat, nullius erunt momenti Chiographa, neque in ullam ipsi veniant hujus Commercii partem.

VII.

Permittitur Henrico König Sociisque navibus imponere tormenta bellica, armamenta atque ejusmodi

modi huc pertinentia alia, nec non quęscunque opus habuerint, merces omnis generis, atque signati & non signati argenti, aliundę, quantum satis est, advecti: monetam verò Suecicam, sacrę Regię Majestatis Nomine, ac Regni Suecię Insignibus, notatam, ne imponant efferantve. Porro liberum erit Henrico König & Consortibus, vel ipsorum Navis Pręfecto, (qui alias Super Cargo vocatur) aliisque Officialibus Comitibusve, suas onerare naves iis in Indiã mercibus, quas, ut in Sueciam transmittantur, maximę censuerint idoneas: plenę ipsi pariter concessã facultate, easdem cujuscunque tandem generis sint, venum, ubi Gothoburgum redierint, exponere, ceu Articulô superiori tertio cautum est.

VIII.

ONeratę atque jam vela facturę Naves à Portubus Orisque Suecię maritimis liberę solvant, nullã ipsis injectã morã, sive a Gubernatoribus, locorum Pręfectis, urbiumque Magistratu, sive à portitoribus, ullõve mortalium aliõ, quõcunque id demũ fiat prętextu.

IX.

OMnis ædificandarum ac instruendarum navium materia, quam, in hujus Commerciũ usum, Henricus König Socięque à Portu Suecię unõ ad alium, vel etiam exteris ab oris huc transvehi curaverint, ut construendis reficiendisve in Regnõ navigiis interserviat, ab omni importatę mercis vectigali immunis esto; neque de comœatu ac apparatu bellicõ, tam nautarum victus, quàm navium pręsidia, spectante, ullum exigatur tributum evectitium. Mercimonia prętercã, quę, uti huic navigationi ac mercaturę accommoda, ab aliquõ

Regni portu ad alium, vel etiam aliundè, translata fuerint, investitio quovis eximantur portorio, modò in Teloniò sine fraude indicentur, Vectigalium postea, cujus interest, Camerae, in Apothecis tamen Societati propriis, donec navibus imposita fuerint, fidei custodiaque tradenda; atque adeò, quæ pro recognitione debentur, $\frac{1}{8}$ de quovis solvantur Centenario: merces verò ac proventus Suecici omnes, quibus navigia onerantur ad Indias exportandis, solitum juxta æstimationem magni Telonii marini, portorium, juraque Urbium, pendunt.

X.

Praefectis, ad quos adtinet, omnium Suecicae Ditioni subjectarum Regionum Urbiumque seriò jungitur, ut ne mercimonia ab Indiis advecta, quæ Henricus König & ejus Socii, ipsorumve Officiales, à navibus suas in Apothecas, aut ab unâ Urbe ad aliam, Syngraphò viatorio ritè comitante, transportari curarint, inhibeant detineantve, nec ullum inde, quocunque nomine ac specie, tributum exigant, postquam, quod Sac. Ræ. Maj:ti ac Coronæ debetur, ex Paragraphi tertiæ præscriptò, persolutum est.

XI.

Quandoquidem, in tam longis itineribus persequendis, severiori disciplinâ adprimè opus est, quò impediuntur seditiones ac turbæ inter nautas forsân orituræ; proindè, ut Epibatae militesque ritè compescantur, eadem, quâ Regiarum, predictarum navium Navarchi ac Officiales gaadebunt auctoritate: quâ tamen ne contrà Legem ullò modo abutantur, sollicitè caveant, ac ut Præfecti, (qui alias Super Cargo appellantur) Navarchi, Officiales ceterique præceptis Henrici
Kö-

König & Sociorum semper obtemperent in omnibus
iis, quæ harum navium cursum atque hocce spectant
Commercium, intemeratis, quæ præsens continet Pri-
vilegium, conditionibus.

XII.

Nautæ, milites, alique harum navium Epibatæ
comitesve, nec scribuntor, nec ad publica vel
privata coguntor munera: qui verò stationes deferuere
publicas, in nautas militesve ne recipiuntor.

XIII.

Qui ante expletum stipendii diem aufugerint, vel,
inseis invitisque Navarchis, abfuerint, nautæ
militesve, ut ubivis comprehendi ac in vincula conji-
ci possint, integrum erit Henrico König Sociisque, mo-
dò id ipsum per Praefectos locorum decenter peragatur,
ad prompta illis officia obligatos.

XIV.

Exoneratis & divenditis, quas reduces attulerunt,
navium mercibus, nullum indè emptores solvun-
to tributum, sive quò aliorsum, intrà Regni fines, li-
berè transferantur, sive aliâ quâvis de causâ: quin etiam
illinc extera in loca directè easdem evehere licebit, si-
ne ullo in exeuntes, quocunque nomine, censu, ex-
ceptis pro recognitione $\frac{1}{8}$ de quòvis Centenariò.

XV.

Rectores Societatis Königianæ semper erunt
tres ad minimum, cordati ac mercaturæ
oppidò periti viri; quosquè adeò duos sibi in mo-
de-

deramen hujusce Commerci adjunxerit, hi pariter cum ipso ita iis fruantur omnibus, quæ hoc in Privilegiò ipsi sociisque concessa sunt, ac si inserta hec illorum essent nomina. Quòd si Henricus König, vel alter Collegarum, fatò functus fuerit, aliàve de causa huic Commerciorum Sodalitio renunciàrit, tunc, qui decedenti succedat, probum ac sapientem virum eligent Rectores residui, quò semper tribus ad minimum, hoc Privilegiò, æquè ac antea Henricus König & Collegarum prior, gaudentibus, operis hujus concedatur administratio. Hi autem semper aut natione Sueci erunt, aut civitate donati, Coronæ Suevicæ fidelitatis Sacramentò obstricti, ac Protestantium addicti Religioni; quosque nunquam non in Regnò manere oporteat, nili fortè, consensu reliquorum, ad curanda Societatis negotia abesse necessum habuerint: quò in casu, absens alium sufficere potest sincerum & prudentem virum, consensu ac volentibus duobus. Quas porro ad hujus Commerci Regimen maximè facturas judicârint leges ac constitutiones, eas inter sese Henricus König Sociique sanciant, modò ne huic Privilegio sint contraria. Præcipuè autem ipsis curæ cordique erit, ut singulis hujus Commerci participibus certa reddatur ratio tam Sortis subscriptæ, quàm inde redundantis usuræ damnique, ut primùm, à reditu navium, merciumque auctione, fieri licet: quorum quidem nomina, summasve ab illis notatas, Henrico König Sociisque nunquam detegere integrum erit, nec cuiquam rationum libros monstrare tenebuntur, quòcunque id fiat pretextu: hinc cuivis Rectorum, ubi reliquos vel secreta prodidisse, vel privato Participantium aut publico omnium nocuisse commodo, deprehenderit, in Nostrò Regniqve Commerciorum Collegiò eâ de re conquerendi, ac meliora flagitandi, potestas esto; tùm
pacti

facti infractores ejusmodi, pro culpæ qualitate, Regimine suprà memoratò vel ad tempus, vel etiam in perpetuum, remonentor, ac alius prudens & peritus Vir a reliquis Collegarum in ejus locum sufficitor. Pari quoque competentis Judicis ope gaudento Participantium singuli, ubi suprà dictum König ejusque Socios malè atque injuriosè rem egissè confiterit.

XVI.

CONceditur Henrico König Sociisque tot adsciscere Navium Præfectos, (qui alias SuperCar-go vocantur) Officiales, Nautas, milites aliosve, quot ex usu prædictæ mercaturæ ac navigationis esse judicârint. Et sicuti ad hocce promovendum institutum plurimi intererit, bonorum, ac non minùs navigationis, quàm Commercii Indici, probè expertorum, operâ uti possè; ita huic negotio maximè aptos idoneosque, siye Suecos, siye externos, conducendi facultas esto: alienigenis, queis hic in Sueciâ confidere inque partem Commercii hujus venire libuerit, aut qui ab Henricò König, & ipsius Sociis, ad obeunda terrâ marive munia conducti fuerint, sponsione datâ sanctissimâ, pari eosdem cum indigenis, quod ipsos ac bona eorum attinet, jure & prærogativâ fructuros esse: uti & illorum non minùs, quàm indigenarum, huic mercaturæ inserta pecunia omni eximetur Arrestò, quicumque id ipsum, vel quâcunque sub specie, petierit. Quin etiam, si quando Diploma conferendæ Civitatis, quâ par est humilitate, desiderârint, ut voti, pro suâ quilibet sorte, compotes eò reddantur certiores, Sa. Ra. Maj:tas pronò ducitur animo.

XVII.

SI Henricum König & Socios, vel ipsorum comites nautasque, hâc in navigatione & mercaturæ exercitiò,

)(

exercitiò, ullâ ratione lædi, turbari, impediri ac vexari contigerit, per quemcunque id ipsis, & ubicunque locorum, sive astu, sive etiam vi inferatur apertâ: Sâ. Ra. Majtas, vigore hujusce Privilegii, plenam illis ac omnimodam potestatem & auctoritatem, damni reparationem, quòcunque id demùm pactò tentare necessarium duxerint, sibi procurandi, vinque vi repellendi, & aggressores ejusmodi uti piratas, vel uti hostes apertos, excipiendi ac tractandi, confert: cujus quidem potestatis atque auctoritatis, quò fidentius agant, in omnibus literis Salvi-Passus, à Sâ. Râ Majte Navarchis Praefectusve destinatarum memorato Commercio navium concedendis, disertâ fiet mentio. Quin &, si naves hasce, à quòcunque demùm id fieri possit, præter spem vel oppugnari, vel intercipi, evenerit, modò præscriptos sibi Articulò primò transiliisse limites Societas haud convicta fuerit, iis in locis mercaturam exercendo, in quibus peculiare Commercio jus aliis acquisitum Nationibus viget; Sâ. Ra. Majtas, de hóc casu, illataque injuriæ circumstantiis, certior facta, suam ipsis Protectionem, nec non omnem, quâ opus est, auctoritatem, ad sibi quærendam vel jure talionis, vel aliâ quâlibet quàm maxime congruâ ratione, damni reparationem integram, clementissimè largietur.

XVIII.

SAc. Ra. Majtas reliquis omnibus sibi subjectis navigationem ac mercaturam sæpiùs nominatam iis in locis, quæ ultra Promontorium Caput Bonæ Spei sita sunt, quâcunque id tandem fieri possit ratione, spatîo quindecim annorum suprâ dictò, seriò interdicat, sub poenâ offensæ Regiæ, ac navium, mercium, armamentorum totiusque adeò apparatus confiscatione, quæ Henrico König Sociisque, & hujus Commercii Principibus, adjudicanda veniunt.

XIX.

XIX.

Sicuti Nobis animus est, omni modò promovere ac
tueri tam utile olim Regno futurum Commmercium;
ita Henricum König Sociosque, nec non Participan-
tium singulos, aut quicumque suas heic locaverint ope-
ras, seu Suecos indigenas, seu exteræ gentis homines,
de favore, ac, quandocunque opus fuerit, auxiliò No-
strò Regio certos esse volumus: has quoque concessas
conditiones & privilegia, ubi è re visum fuerit, idque
Henricus König & Socii ipsius humilimè expetierint,
clementer mutaturi aucturive. In quoruni majus robur,
hocce, manu Nostrâ propriâ subscriptum, Sigillò No-
strò Regiò communiri iussimus. Dabantur Holmiæ,
die decimâ quartâ Junii, Anni millesimi Septingen-
tesimi trigesimi primi.

FRIEDERICUS.

(L.S.)

H. Cedercreutz.

